

dendum est: Quamquam¹⁾ S. Benedictus causa discretionis atque temperamenti octava hora noctis praecipit esse surgendum, hoc testimonium non congruat et conveniat, quantum ad horas attinet, suae praeceptioni, tamen congruit quantum attinet ad noctem, eo quod sive octava hora surgamus, sicut Benedictus dicit, sive media nocte, sicut dicit propheta, tamen in nocte surgimus. Ille enim quoniam non habuit, unde congruentius adhiberet exemplum ad confirmandam suam praeceptionem adhibuit istud exemplum, ubi de media nocte dicitur esse surgendum. In hoc loco sollertius intuemus, quia ille laudes Deo refert, qui hoc, quod ore dicit, corde cogitat, et propterea vigilanter S. Benedictus subjunxit, cum dicit: *His temporibus referamus laudes*, et statim adjecit *creatori nostro* - quasi diceret: Ita laudes referamus, ut creator noster cognoscatur. Nam sunt multi, qui videntur laudes referre, sed non referunt Deo, quia hoc, quod ore dicunt, corde non intendunt. Et ideo admonendi sunt monachi, ut, cum audiunt signum, sicut dimittunt ea, quae habent in manibus, ita etiam quae habent in corde, dimittant, quia nil valet, manibus dimittere et corde gestare; nam tolerabilius est manibus gestare opus et corde dimittere, quam manibus dimittere et corde gestare. De hoc quod dicit: *Nocte surgebam ad confitendum tibi*, bene B. Ambrosius, episcopus Mediolanensis, in tractatu *Beati immaculati* (v. 62.) exponit hoc modo dicens: *Non tibi dicit propheta, ut tantummodo possit incursus.*¹⁾

Cap. XVII.

QUOT PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI SUNT.

Aptum enim ordinem tenuit S. Benedictus in eo quod superius distinxerat tempora, quibus officia divina agenda sint, et nunc subjunxit, quanti psalmi per easdem horas canendi sunt. Dicit enim: *Jam de nocturnis vel matutinis*

¹⁾ Post *quamquam* omissum esse videtur *quia* vel *cum*.

²⁾ cf. Migne, tom. 15. col. 1313 num. 45. 46.